

ter intueor! O quam mihi præsagit animus fore ut hic mearum erumnarum fiat finis, nam et fata et fama omnium ore celebrata hoc mihi videntur polliceri: sponsus meus in thalamum nostrum receptus nobis nitorem restitutus, imo hoc duce qui armis, consilio, fide hoc sibi præcipuum sit adeptus ut quoquo vergat secum victoriam trahere videatur.

*Senex.* Et id quidem prudentissimus quisque præsagit et prædicat; sed quid quod jam agit sponsus tuus ut fœlices secum annos agas.

*Italia.* Hoc agit sponsus meus?

*Senex.* Hoc quidem: qui paronymphum hue miserit qui res nostras ita componat, ut nitori, honori ac majestati tuae restituaris.

*Italia.* Paronymphum misit sponsus meus?

*Senex.* Tu quidem sponsus tuus.

*Italia.* Paronymphum sponsus?

*Senex.* Sic est,

*Italia.* Et hoc agit?

*Senex.* Hoc unum inquam.

*Italia.* O faustum nuntium! me jam prope beasti, jam me omnium erumnarum pene oblita reddidisti! O superi! id queso, cavete ne qua nobis calamitas intercipiat! Verum, mi Senex, ade que nam paronymphum sponsus miserit, nam id quam maxime scire cupio.

*Senex.* Gurzensem episcopum, Sacri Pontificis jam senatorem designatum.

*Italia.* Maxima mihi virum dignitate prædicas; qui eo amplitudinis evaserit, ut unum tantum gradum ad summam majestatem expectet, quem ut fauste ascendat, ut opto ac spero, adeo Optimo Maximo summis precibus non desinam efflagitare: sed ubi nam est?

*Senex.* En tibi!

*Italia.* Illum alloquar.

*Sequitur Italia ad reverendissimum*

*Gurgensem oratio et exhortatio.*

83 *Italia ad reverendissimum Gurgensem. Oratio et exhortatio habita Veronæ, 1512, mensis Septembri.*

Maxime, reverendissime princeps et pontifex, maximum inquam et omnibus summæ gloriae ornamenti celebrandum munus a prudentissimo non minus quam invictissimo Imperatore Maximiliano sponso nostro audio tibi demandatum, ut tua industria ac prudentia, nostrum nobis nitorem et omnia

ornamenta hostium injuria nobis sublata restituas, nostrumque thalamum, omni squalore et situ deterso, dignum tantæ majestati habitaculum præpares ut inquam me tota Italia, omni hostium furore expulso, pacata, jure libere ac quieti fruatur. Maximum inquam munus atque amplissimum; nam quæ potest major provincia cui quam arogari quam prostata penitus hanc regionem nulli in toto orbe virtute, fœcunditate ac omnibus ornamentis conferendam erigere, imo pene extinctam excitare, et amissis omnibus ornamentis reparare? Fuere multi qui variis temporibus propria virtute amplum sibi nomen et gloria compararunt, in quibus præcipuum ac honestissimum locum obtinueris, si munus istud recte, ut spero, exolveris. Nam, cum nulla major virtus celebretur, quæ una nos Deo Immortali prope modum reddat aequales, hac autem ipsa clementia ac pietate et misericordia, nesciam an ulla major reperiri queat, qua tot populis injurya prostratis suas vires restitutus, tot regnis, tot principatibus quoddam florentissimis, hostium furore dejectis, sui roboris ac nitoris formam ipse repares, tot turpiter agitatis honestis foeminis hoc præstes ut suæ castitatis rationem habeant, tot sacris prophanatis sanctæ reddas dedicationi, ut rebus nostris omnibus confractis solidum robor restitutas, ac denique nostrum totius Italie corpus prostratum ac prope extinctum suscites. Si virtutis meritum par gloria pensatur, quæ major poterit tua gloria celebrari? Memini multos mihi sese opem contulisse variis temporibus. Camillus Gallis capitolium obsidentibus ad unum cæsis patriam Romanis restituit. Scipio ferro ac igni ab Hannibale jam sextum et decimum annum vexatum idem Romanum imperium liberavit. Posteris temporibus, Justiniano sponso nostro imperante, Gottes universæ nostræ regioni infensos Belisarius expulit: et alii, quos silentio prætereo multi multa contulere. Verum quid omnium illorum ad tuam gloriam? Illi quidem armis ac multorum cœde ad gloriam sibi aditum struxere: tu, sedendo, quieto non minus quam sagaci consilio, de pace, ac quiete nostra ac omnibus nobis restituendis ornamentis ita rem tractas, ut non modo ullo cruento verum eo excisato quem hostes effuderunt ac consolidatis vulneribus, saluberrime nobis consulas, o virum celeberrimum, cuius jam video amplitudinem et gloriam universas orbi conspicuam; cuius laudes omnes decantent viri ab imminentे cœde per te servati, feminæ sue castitatis ac pudicitiae asservatorum cantu iugementum! Age itaque et quam potes maxime enitere ut huc perficias, ne tanta te gloria